SIMONIS STAROVOLSCI

EQVES POLONVS.

Venetus 1628

VRBANO
VIII.
Pontifici Optimo Maximo

SIMON STAROVOLSCIVS
vtramque Felicitatem.

EQuitem Polonum ad pedes tuos PATER BEATISSIME Equitum infimus ſiſto, ſed in charta, & penna tantùm depinctum: cùm penitiùs inſpexeris; in equo, armatum, &

 pennis

pennis criſtatum Achillis Homerici more. Generoſiorem aſttamen eo, quòd non ad euertendos vicinos armatus, nec ad turbandam cæterorum quietem, faſtu Græcanico inflatus progrediatur; ſed ad domandum barbarorum ferociam, ad defendendum patriam ſuam, ad aſſerendum ſanctiſsimã noſtram Religionem. Cuius, cum Tu caput ſis ſupremum, & omnium in Eccleſia Chriſti, aut pro illa militantium Gubernator: meum quoque bellatorem, ad Te ducere volui: imò tuum, tibi & non alij ſiſtere debui. Meum, lucubratione tantùm; tuum,

tuum, possessione totali; quia & ego tuus, & ille talis, pro te capite sancto, ac gloria Christi, paratus est, caput suum mille periculis exponere. Ergo ad pedes Tuos, cum bono affectu accedentem, & debita cum reuerentia prouolutum, paterno affectu excipies. Et quamuis nullo religionis Sacramẽto adstrictum, non irreligiosum attamen, & effectu, quæ sentit, adprobantem, inter Religiosorum Equitum Ordines, haud posteriorem censebis: atq; cum capitalissimis Ecclesiæ Romanæ hostibus, Turca, Valacho, Moscho, Scytha & Sueco, bella

Domini aſsiduè præliantem, beabis Tua Sancta BENEDICTIONE, his difficilimis temporibus Patriæ noſtræ; atque me vnà, qui Tuum nomen velut tutelare numen hîc ſtatuo, quod omnes venerentur. O vtinam omnes, vel hoſtes, vel aduerſarij tui! atque vtinam Tu nobis & Orbi vniuerſo diutiſſimè præſis.

LECTORI.

QVi vel curiositatis, vel prudentiæ acquirendæ causa, diuersas regiones peragrant, non est, Candide Lector, quod in Sarmatia nostra videant præstantius, præter conuentum ordinum pro Comitijs Regni, et Exercitum, in campum eductum: nam vtrobique Equitum Polonorum frequentiam, splendorē, facultates, elegantias, morumq; aut humorum compositionem, vno quasi obtutu pernoscent. Cætera populis reliquis communia, minùs fortè aduenis illis admirationis parient. Et

Duo digna visu in Polonia, Comitia, & exercitus.

Comitia diuersis temporibus, & diuersis in locis.

Comitia quidem, non semper statis temporibus, aut loco, celebrari solent, sed pro Regis libitu (qui solus ea indicere ius habet; aut Interregno occurrente, Primas Regni, Archiepiscopus Gnesnensis) ac necessitatis exigentia. De more tamen adprobato, Varsouiæ, in meditullio Regni, et quolibet biennio fieri debent. Exercitus verò (quia cum diuersis, et assiduò, bella gerimus) in diuersis locis et sub tentorijs penè semper habemus, etiam cum bellum non habemus. Solent enim frequentiùs et inopinatò, barbari in Podoliam, aut Russiæ Prouincias incurrere, et dãna grauissima popularibus inferre. idcirco ad reprimendos impetus eorum, et iuuentutis nostræ exercendæ causa, solemus perpetuum in excu-

Exercitus semper, & in Podolia communissime.

bijs

biјs militem habere. Non enim potest Resp. vlla longo tempore bonis omnibus et felicitate florere, nisi validis armis et præsidijs, fortissimisq; legionibus septa: quibus, tum perditorum ciuium audaciam temeritatemq; frænet, tum externam hostium vim iniuriamq; prohibeat. Atque ob eam rem, præter duos exercituum supremos Generales, alterũ Poloniæ, Mag. Duc. Lituaniæ alterum, duos insuper Campestres Duces, hoc est, vicarios priorum, cum honore creare consueuimus; vt si diuersis in locis simul bellum gerere contingat, singuli singulis exercitibus præsint: quod si vno tantùm in loco periculum occurrat, alter ex supremis illis Generalibus, à suo Locotenente adiutus molẽ rerum sustineat; qui si minus diffi-

Exercituũ autem duo Duces Generales, & duo Campestres sũt.

cultatis

cultatis videbit, præficiens iuniorem castris, seipsũ ad maiora atque difficiliora reseruabit. Quapropter si quis Equitem nostrum, quem hìc describimus, non adeundo exercitus in campis, nec expectando Comitia Regni, protinùs vbi venerit in Poloniã, exoptabit videre; repperiet eum in pagis paßim, quia in villis non in vrbibus habitamus. Cæterum maiorẽ frequentiam, in Aula Regis offendet, aut Lublini, Petricouiæue, seu Vilnæ, in quibus locis Tribunalia, seu Parlamenta nostra peraguntur. Et hoc ipsũ erat, quod te Lector Nobilißime præmonere volui, priusquã ad Equitis nostri cognitionem accesseris, simulq; scire, omniũ Regni Poloniæ Prouinciarũ Nobilitatẽ, æquali iure gaudere, et vniuersali vocabulo Equites vocitari, ac re ipsa esse. Vale

Aula quoque Regia digna visu, & Parlamenta Polonorum.

SIMONIS STAROVOLSCI

Eques Polonus

Seu de præstantia Nobilitatis Polonæ, prærogatiuis, libertate, & modo ac ratione militiæ, breuis connotatio.

CAPVT PRIMVM.

De excellentia, & dignitate Equitis Poloni.

EQuitem, veteri Romanorum vocabulo & vsu, ab equo, & equitatione dictum, nemo est qui non sapiat; potiorem verò pedite, quia ferocior, & velocior in bello: & digniorem, quia ex patricijs tantùm, & præcipua nobilitate. Nec plebeio

Eques quid sit, & vnde dictus.

plebeio licebat publicum equum habere, niſi aſſurgenti ex vulgi fecibus per virtutem. Hoc in primis Romanę potentiæ incunabulis. namque poſtea variè immutatum, & turbatum fuit. In Polonia verò noſtra, vt à prima origine, ita in hodiernum vſque, in equite omne robur belli, & dignitas honeſtatis; qui nota probitatis, diſcriminati à plebe, tanto generoſiores ſpiritus gerunt, quanto plebeijs animis, & humi ſerpentibus tantùm, ſunt ſuperiores. Nec permittitur tractatio armorum vulgo, niſi in quantum ad famulatum, aut ſeruitia ſpectant, vel ex eis dilectus fiunt. Equites autem ipſi, quia ſe ſuperiorem virtute alium neminem vident, neminem quoque ideò maioribus prærogatiuis inter ſe ſuperbire permittunt: ſed vt probitate pares ſunt, ita & honore omnes æquales eſſe volunt. Et quamuis plurimi ſunt, qui vel ex veteri Principum proſapia origi-

In Polonia ſoli Equites arma tractant.

Et inter ſe omnes ſunt pares.

originem trahunt, vel proprijs virtutibus, apud externos Reges, nouos honores conquiſitos habent, hoc ipſo nihilominus domi, nõ ſunt altiores alijs, aut meliores; ſed Illuſtriores tantùm, præclarè factis, & auguſtiores, titulis promeritis, quos in ædibus, vel inſignibus armorum ſuorum, præſcribere ſolent: Neque Dux aliquis, Marchio, Comeſue vllus, Equite quouis pauperrimo, dicitur nobilior, aut libertate maior: verum ditior tantùm, ſplendidior, & clarior. Et iſtud ipſum intelligendum eſt, de omnibus nobilibus, omnium Regni Poloniæ Prouinciarum, bello, vel pactis acquiſitarum: quæ, cum omnes in plano ſitæ ſint, & equorum copiam maximam habeant, vel ipſa natura, ciues ſuos equites faciunt. Hosq; tales, æqualiter natos, & æqualiter inſtitutos, eo reliquis paribus præſtantiores, quo meliores ſunt probitate, quo illuſtriores libertate,

Totamq; Poloniam equorũ copia habent refertam.

quo

quo fortiores in ſago, & quo in toga, paternæ claritudini proximiores.

CAPVT II.

De immunitatibus, & libertate Equit. Pol.

Pius II. Hiſt. ſui temp. c. 30.

LIbertatem cum quiſque ſapiens exoptat, tum omnes nobili loco & genere nati, adeò, vt de Parthis legamus, eos diem illum ſolennem habuiſſe, quo genti libertas orta, excuſſo iugo Perſarum, Duce Arſace. Magnitudo enim, & celſitas animi, in amore libertatis, & honoris maximè ſpectatur, qua populi Martiales præditi, nullo modo iugũ ſeruitutis ferre poſſunt: prout & Equites Poloni, præ alijs ſub ſole libertate gaudentes, nihil non faciunt, nihil non conantur, pro eius cõſeruatione. Nec Regem inſuper habere volunt, niſi ad libitum electum: nec

Libertas Polonorũ maior alijs quibuſuis populis: & in quo conſiſtit.

legem

legem ab illo, nisi sancitam à seipsis: nec posteros eius hæredes sceptri, nisi inquantum ipsis placuerint. In summa, & regni habenas, & iurium moderationem, & bellorum indictiones, & impositiones tributorum, & pecuniæ cudendæ facultatem penes se ipsos retinent, penes Regem solùm Maiestatem solam, & distributionem honorum. Non secus tamen pœnarum, nam has ille plebeijs tantùm, ob commissa scelera, indicere potest, nobilibus non potest etiam læsa Maiestate sua: nisi in publico Regni Conuentu, & præuijs sententijs Senatus, Requepub. tota consentiente, quã repræsentant collecti ex omnibus Prouincijs Senatores, & Legati nobilitatis. Vnde prima nobis libertatis cautio, & legis vox *Neminem captiuabimus nisi iure victum*. In recentia verò crimina, per Prouincias, animaduertunt locorum Toparchæ: Ad latus autem

Nobiles Poloni non incarcerãtur ante sententiam Iudicis, nisi in Notorijs.

Regis

Regis patrata, Supremus Regni, aut Magni Ducat. Lituaniȩ Marſchalcus: Sicut et in caſtris, ſupremus Generalis: aut eorum Locotenẽtes: à quibus prouocare nefas. Sic igitur muniti, & à Regis potentia liberi, & excepti, nihil ei debemus, niſi venerationem vt patri, nihil patriæ ipſi aut eius fiſco, niſi amorem vt matri: cuius charitate qui non excitatur, aut ſuauitate non capitur, hunc ſtupidum, atque adeò inerti ſtipiti ſimillimum iudicamus.

Nobiles Poloni patriæ quid debeant.

Et quantum ad amorem Patriæ, tenemur, (in perſona quiſque ſua) ſine vllis ſtipendijs, ad bellum defenſiuum, Rege etiam ipſo præeunte, cum graue periculum imminet. Cum minus: ſtipẽdia volentibus tribuimus, ex tributis plebi vrbicæ, & agricolis noſtris, impoſitis: ipſi ab omni vectigalium, ſeu datiorum genere immunes, ſed vt quiſque diues eſt, aut gloria ducitur, militum manum in Reipub. defenſionem

nem

nem offert. Idem, cum offendere aliquem vicinum populum libet: sed approbante nobilitate, namq; Rex ipse, neminem bello lædere ius habet. Imò ne quid tale contra confæderatos Reipub. aut ciues ipsos moliatur, habet semper ex Senatu, etiam post Comitiũ dimissum, numerum certum assistentem, qui & libertatis custodes, & negotiorum Consiliarij, & Regiæ Maiestatis auctores sunt. Mutanturq́; sæpiùs, alijs succedentibus, sed auctoritate immutabili: sicut & Officiales maiores, scilicet, Cancellarij, Secretarij, Marschalci, aut vices eorum gerentes.

Quantum verò ad venerationem Principis, nihil, inquam, ab ordine Equestri debetur maiestati illius (excepta prouentuum assignatione, quæ iam ordinaria est) præter *fidelitatem, & reuerentiam*, nec exigitur vicissim, nisi idem: hoc est, *recta* & ad præscriptum *gubernatio*, atque in omnes pari- *Quid debeant Regi suo.*

ter, *paternus amor*. Sic enim spontè assumptum in Dominum, omni honore prosequi, æquitas ipsa suadet: & ne verbo quidem maiestatem indutum proscindere, quia Dei solius locum tenet, permittit iustitia. Sed in omnibus publicis scripturis nomen ipsius, tanquam terreni numinis, præfigendum, publicoq; ęri imprimendum, iubet ratio, adfirmat communis populorum omnium vsus. Vicissim ille, tanto beneficio accepto, subditorum animos, gratitudinis quibusdam signis ad se alliciendo, paternum quodammodo affectum eis monstrare debet, atque vires animi sui eo referre, vt omnes Reipub. partes, inter se beneuolentia constrictæ, pro eius dignitate, pro salute publica, in vnam voluntatem conspirent. Hocq; proprium Regum nostrorum munus est, sicut ab omnibus accipiunt beneuolentiam, ita omnium cōsulere rebus, præsidere in iudicijs, ex-

cludere

cludere maleficia, obseruare magistratus, corrigere inutiles, denique prospicere, quid verè honestum, quid verè magnificum, quid verè gloriosum sit.

Sub talibus igitur & tam gloriosis Principibus, equites ipsi Poloniæ nostræ, sunt velut principes alibi, aut reguli minores: nam & similem libertatem faciendi cum suis possessionibus, quod placet, habẽt, & in colonos suos atque oppidanos, ius absolutissimum tenent, non modò imponendi seruitia aut exactiones, sed etiam vitæ & necis. Similiter, in faciendis pro libitu munitionibus, in extruendis arcibus, condendis ciuitatibus, faciendis tormentis bellicis, alendis stipatoribus circa se, & militum turmis. Quemadmodum & in parandis vestibus, conuiuijs, possessionibus, alijsue omnibus priuatis & publicis actionibus peragendis. Quisque suo arbitratu viuit, nec regulam aliam viuendi habet, præter virtutis,

Regibus in libertate pares, & subditorũ suorum vitæ supremi arbitiri.

& honestatis, quæ sola ornatam omnem vitam reddit.

CAPVT III.

De moribus Equitum Polonorum, & habitandi ratione.

QVia boni mores, bonam famam cõciliare solent; eapropter mõstrare libuit, quomodo his quoq; excellant, Equites Poloni, cum tritissimum omnes politiores populi habeát, illos suauiores in conuersando censeri, qui virtutibus sunt magis ornati: & mores ipsos comptiores illos dici, qui virtuti viciniores. Et cũ quisque probus & bonus, non alijs artibus ad nobilitatem peruenire soleat, quàm iustitia, temperantia, prudentia, & fortitudine, alijsq; virtutibus præclarissimis, humanitate, videlicet, humilitate, munificẽtia, liberalitate, ac pietate: ex quibus, tantus vbique honestatis splẽdor

Qui mores optimi.

re-

relucet, vt ſe etiam imperitorum oculis mentique ingerat, & vel à ſectatoribus vitiorum, prauiſue hominibus laudem ſuam habeat. Noſtri Poloni his virtutibus eapropter innutriti, non ſolùm Barbaris gẽtibus, quibus cum bella perpetua gerunt, ſunt admirabiles, & formidoloſi, verum enimuerò clariſſimis quibuſuis, in familiaritate tolerabiles, & in amicitijs iungendis haud áſpernandi. Submiſſa namque, & modeſta de ſe opinione ſuum cuique honorem volentes tribuunt, nec ſeſe pręferunt doctiorib. populis, nec ſcriptis vulgatis mores cęterorum proſcindũt, aut ſuos, licet interdũ meliores, iactãt: ſed feciſſe contenti, alijs arbitranda committunt. Sua vero in tantum negligunt vt vix pro patria præclare geſtorum ſeriem perſcriptam habeant aut Hiſtoriam ritè contextam, idq́; non niſi deriuatã ex ſcriptoribus externis, cui ſolus Cromerus nunc primùm lu-

Polonorũ mores placidi.

Quia modeſti.

cẽ dedit, publicis munimentis reuiſis. Humanitatem verò noſtratium, non eſt vt in præſens prædicem, cum eam ſæpiùs in Poloniam venientes ſint experti pęnè Europęi omnes, & experiũtur quotidie, domibus nobilium velut communi diuerſorio vtentes: quod nõ turpis lucri, aut iactationis vanæ facere conſueuimus, ſed liberalitatis innatæ, & patrij moris cauſa: quo etiam munifici eſſe ſolemus in homines virtute conſpicuos, aliquando amicitiam illorum ambientes, quamuis ſint incogniti nobis, ſed tantùm cogniti fama bona. Temperantiæ, atque Iuſtitiæ argumentum eſto, quod limitibus patrijs contenti, non appetimus aliena, licet benè potuiſſemus prolatare pomaria noſtra: vnde nec bella inferimus vicinis, nec in remotiores machinationes ſtruimus, ſed tum demum propugnamus, cum iniuria aliqua læſi fuerimus. Quod totum procedit à modeſtia quoque

Non parci tamen aut ſordidi.

Sed inter limites Iuſtitiæ poſiti.

que

que priuatorum, & fide inuiolabili in promissionibus, quam cādore ingenuo conseruare assueuimus, neq; fas enim putamus contractum dissoluere, *verbo nobili* stipulatum. Ita maiores nostri, ita nos, qui antiquare in probitare volumus, sicut succedere in possessionibus. Fortitudinis demum hoc vnicum signum ponamus, quod potius seipsos vincere, quam hostes contendamus, nullam sæuitiam exercendo in subditos nostros, absoluti eorum domini, & moderatores, quamuis nulla in crudeles pœna vel à Rege, vel à lege statuta reperiatur, sed sola honestate coerciti, quæ morum actionumque nostrarum regula est. Et tamen frequentiùs legimus, etiam politiores gentes, in tali libertate aberrauisse, & in subditos potentia abusos fuisse, seu impotentia sæuijsse. Hæc priuatim. Publicè autem Sarmaticæ fortitudinis hoc specimen fiat, quòd in faucibus tot ho-

Maximè si dei & can doris splen dore illustres.

In subditos benigni & clementes.

In hostes animosi licet vndiq. cincti.

ſtium poſiti, & Barbarorum aſſiduis populationibus expoſiti, *Turcharum videlicet, Scytharum, Moldauorum, Valachorum, Moſcouitarum, Suecorum, Transyluanorum, Germaniciq; Imperij nonnullorum* Principum Hæreticorum *potentiæ:* abſque vllis munitionibus, & propugnaculis, hucuſque reſiſtamus, Spartano more, proprijs pectoribus. Nec iugum alterius (cum Deo bono dicam) hucuſque perſenſimus, aut populi, aut Regis alicuius, ſed liberi, ſed victores ſemper, ex quo frigidæ Sarmatiæ campos intrauimus. Credo, non ob aliam virtutem, quam ob cultum ſynceræ Religionis. nam quid hæc humana ſunt, niſi iactationes, & fluctus? in quibus nihil firmum ſit, niſi ad anchoram ea alliges verè Pietatis. Quæ licet priuatim iam, patrum noſtrùm memoria, vacillare cœperat (*in rebus enim humanis, nihil tam fauſtè feliciterq; agitur quod non error aliquis interpollet*) publi-

Firmi Religionis baſi inuitentes.

Lucianus de non temere credendo calum.

cè nihilominus per totam Poloniam inconcussa stetit, & Rege protegente, & sacrorum Missis adoperantibus.

Habitant in agris, & cõmodius quam in vrbibus.

Cæterum quia agrum, & in eo cultũ meliorem Vrbe dixere veteres sapientes, tum ad virtutem, tum ad mores, tũ demum ad militiam & exercitia honestatis, ideò Equites nostri in villis, Castellisq; suis, non in ciuitatibus habitant: & spernunt quodammodo Vrbicum illum carcerem, qui altas mentes, haud dissimiliter, quam cauea generosas feras, domat & frangit. Iam autem *spernit natura sua includi, cœlestis ille ignis*, inquit Belgicæ decus, *& aerem amat, ac campos*. Et Polonus à campo dictus est, qui Pole in Vulgari vocatur; Vnde in campis non in Vrbibus manere debet, ut Polonus uerè fiat. Et rectè sanè, prudẽtes enim legislatores olim, & qui semina iecere boni status, ciues suos plurimum ab Vrbe & conuentibus abductos, habere voluerũt in agris

Lipsius ep. 8. Cẽt. 1.

quos

quos ad probitatem, modestiā, robur, gymnasium censuere & palestrā. Alias enim, vt flumina per se dulcia, cùm in mare venerint, salescunt: sic homines haud mali, ex agris in Vrbem redacti, tactu inquinantur & mixtione: Vnde Hippolytus apud Senecam.

Non alia magis est libera et vitio carēs
Ritusq; melius vita quæ priscos colat,
Quā quæ relictis mænibus cāpos amat.
Non illū auaræ mentis inflāmat furor,
Nō aura populi, et vulgus infidū bonis,
Non pestilens inuidia, nō fragilis fauor,
Nō ille regno seruit, aut regno imminet,
Spei metusq; liber.

CAPVT IIII.

De exercitÿs Iuuentutis Polonæ.

Ciuis apud Romanos diuisio.

ROmulus olim æterni auctor Imperij, cùm in duas classes ciuem diuisisset, Seruos videlicet ac Liberos: istis duo tantùm studia militiæ, & agri dedit:

dedit: illis artes reliquas, quæ ad Mercurium, & ad Lucrum. Eius institutũ, velut perfectissimam Idæam nostri Sarmatæ secuti, omnem aliam turbam quę in Vrbibus, ad mercaturam & artificia, colonos verò qui in pagis illorum, ad agrorum culturam astrinxerunt, se autem solos, ad armorum tractationem, aut eorum, quæ æternitatem spirarent. Et quia hæc ipsa, veteri prouerbio, Marte, & Arte paratur, eapropter in iuuenili adhuc ætate, his potissimùm duobus litant, hoc est, pueri, bonas artes tractant, viri, earum vsum, & arma.

Eadem apud Polonos.

Et quo ad disciplinas. habemus pręter scholas priuatas, quas vulgo Parochiales dicimus, in pagis nobilium ferè singulorum aut plurium, etiam triginta, & amplius Patrum Societatis IESV collegia, sparsa per prouincias Regni, in quibus iuuentus eruditur, quantum in Martiali populo satis. Qui autem altioribus scientijs animum imbuere

Qui bonas artes domi discunt.

buere

buere cupiunt, adeunt celeberrimam illam vniuerſitatem Cracouienſem, aut Zamoſcianam Academiam, aut Gymnaſium Poſnanienſe.

Cæterùm, quia externa neſcio quo fuco ſe adornant, & plerunque optimis patriæ rebus beatiora videntur: idcirco plura ſcire cupientes, in Belgium, Gallias, Italiam, atque vltimam Heſperiam excurrũt. Quod quidem non improbo: aſt quia in iuuenili valdè ętate, hoc certè damno. namque vt eruditionis delicium Ericius Puteanus, inquit, *Sine fructu peregrinatio ſuſcipitur, ante prudentiæ annos*. Et reuera ſine fructu, quia lubrica ætas non permittit ea diſcere, quibus vſuri ſint, cũ ad virilem peruenerint ætatem, ſed potius ea quæ didiſcere poſtea vix multis annis poſſunt. Omitto, quòd hinc Penatium amor in eis pereat, longa peregrinatione præſertim, pereunt, & amicitiæ, & vſus ipſe, ac modus agendi ver-

Et foris.

Sed foris cum damno potiùs quàm fructu.

Epiſt. 1. Promulſidis.

di vernaculus. Suſcipitur attamen frequentiùs talis peregrinatio à noſtratibus, & cum neſcio quo alio vitiatur, tum condecoratur peritia linguarum, ad quas exactè pernoſcendas, natura ſolent noſtri apti eſſe. *Recompẽsant tamẽ linguarum peritia.*

Vbi verò adoleuerit, ad iuris patrij peritiam (quod à communi iure diſtinctum) animum applicant, ſi bello parum ſeſe aptos viderint; alij ad Aulam Regis, & eius ſeruitia, vel ad aulas Senatorum, quæ etiam ſolent frequentiſſimæ eſſe, æmulantibus etiam priuatis nobilibus, magnum famulatum, & ſplendidos aulicos habere. Alij recta in campos, & in bella eunt, quod communiùs eſt, & ibi haſtam vibrare, equum curſu fatigare, ſagittas ad ſcopum, vel ipſum ſclopum ex deſtinato dirigere, frigus, æſtum, famem, & cœli iniurias, maiorum ſuorum more aſſueſcunt, *Adulti iure ſeſe occupant.* *Aula.* *Et militia.*

quibus

quibus poſtea gloriam ſibi parant, & ex recordatione iucundam in ſenectute oblectationem habent. *Peruenisse enim, per impedita, & ſcandiſſe per ardua iucundum poſtea erit,* dixit pulcherrimè Vir clariſſimus, & omnis eruditionis exemplum ERICIVS PVTEANVS.

Epiſt. vltima Apophoretorum.

CAPVT V.

De peregrinationibus, & militia extra Patriam.

QVandoquidem nemo canam prudentiam aſſequi valet, niſi etiã doctrinæ, quam ex lectione hauſit, multarum rerum vſum, & peritiam adiunxerit: eamque ipſam, non domeſtica tantùm diſciplina comparatam, ſed etiam vicinorum atq; remotiorum populorum notitia. Eapropter quoque Equites Poloni, non cõtenti Europæas regiones vidiſſe, vbi ob pulcherrimam

Poloni ob acquirendam militarem peritiam, etiã Barbarorũ prouincias peragrãt.

morum

norum ciuilitatem, nullum periculum peregrinātibus est, verum etiam Asiaticorum atque Africanorum populorum, dissitas regiones, nonnulli penetrant: & prodesse patriæ volentes, pernoscunt, summo cum periculo vitæ, intimas Barbarorum illorum prouincias, cum quibus nobis, ob vicinitatē, continuæ dissensiones. Et tales ex Dynastis nostris, ac præcipua nobilitate, vt hic minores omittam fuere, Ioānes Tarnouius Comes, Romanus Sanguscus, Theodorus Ilinicius, Io. Lanckoronius, Io. Zarēba, Nicolaus Dux Radiuillus, Io. Tuorouius, & qui heus in reditu Fato infelici, & patria insalutata occubuit, Erasmus Kretkouius. cui ob raras animi dotes, Nobilis quidam Patauinus, in D. Antonij delubro, eiusmodi Cenotaphium posuit.

Obijt ætatis anno 50. Patauij, die 15. Maij anno D. 1558.

Hic te Kretkoui mors, & tua fata manebant,
Cum terras omnes, & cū maria omnia (circum
Lustrā-

Lustrares , multo defessus membra labore .
Te rapidus Ganges, gelidæq; Borysthenis vndæ,
Te Tagus & Rhenus , te ripa binominis Jstri ,
Te septem gemini nouerunt ostia Nili.
Nunc concessisti magnum visurus Olympum
Æternasque domos, vbi dijs immistus manes ,
Et curas & spes hominum lamentaq; rides .

Qui omnes non aliam profectò ob causam, partes orbis præcipuas lustrabant, quàm vt acquisita ex peregrinatione diuersarum rerum prudentia, tãto commodiùs, virtutem suam cõciuibus declarare, & patriam charissimam illustrare potuissent. Nec aliud sanè priscis temporibus remediũ erat, emergendi è latebris vulgi, cum omnes initio pares esse natura iussisset. Sed siquis

Idem animo fuit antiquis peregrinãdi qui & nobis.

ingenio

ingenio & prudentia, pacauerat incitatæ multitudinis violentiam, ſi quis peregrinatione bonas artes, aut mores acquiſiuiſſet, ijſq; illuſtris ipſe, conciues ſuos ad virtutem informaſſet, ſi quis exteris gentibus ſuaſiſſet, aut ſocietatem, ſi integræ, aut ſeruitutem, ſi nonnihil attritis rebus affligebantur: illi ſtatim meritæ nobilitatis inſignia, vel ſi nobili loco nati aut ſtirpe, honores publici conſenſus deferebāt. Illum diſciplina militaris, illum machinarum peritia, virtus omnes prouehebat. Inde etiam filijs nobilium honor habitus, primum à paternis clientibus, deinde ab omnibus, qui ineſſe in ijs ſemina paternæ claritudinis arbitrabantur. Quemadmodum etiam arbitramur dignos omni veneratione, & memoria, manes illorum, qui Heroicis virtutibus ſuis illuſtrarunt patriam noſtram, toties ductatis militum manipulis contra Huſſitas in Bohemiam,

Poloni vicinos Principes bellis iuuarunt.

contra Turcas in Auſtriam & Hungariam, contra Tartaros in Perecopum, & Beſſarabiam, contra Proteſtantes in Germaniam: & noſtra iam memoria, contra eoſdem Eccleſiæ Chriſti inimicos, vt remotiora omittam, ad Oſtrogoniam ſub Rudolpho Imperatore ſumptibus proprijs, & ſub Sigiſmundo Batthoræo in Tranſyluaniam, non alia ſpe, aut mercede, quam vt oppreſſos à Barbaris, aut Hæreticis Catholicos iuuarent: ſicut & nuperrimè iuuarunt, contra rebelles ſubditos, Ferdinandum II. quem Deus Opt. Max. coronatum omni beatitate, velit facere ad vltimum triumphatorem de hoſtibus ſuis. Taceo hic Laſcios illos illuſtres, atque Ladſcios ſtrenuos, taceo Tencinios, Melecios, Zborouios, ac infinitos alios, magnæ notæ, magni nominis viros. Qui, vt virtutem ſuam exteris atque fortitudinem declararent, quæuis ardua pericula ſubire haud recuſarunt,

Catholicis prodeſſe cupientes.

Tum vt virtutem ſuam exteris probarent.

cuſarunt, militando in Gallijs, Luſitania, Belgio, Italia atque Alemania, ſub diuerſorum Principum auſpicijs & ſignis: vnde reuerſi, & apud exteros amplisſimis honoribus conſecutis domi, claruerunt, & apud poſteros immortale ſibi nomen compararunt. Enimuero enim virtutis merces gloria eſt, cuius pulchritudine optimus quiſque ducitur. Et quamuis natura quadam fiat, vt ignauiſſimi homines nihil curent, quæ ſit de ipſis futura opinio; probatiſſimi aſttamen viri, & nobili loco nati, nihil facere recuſant, quo in futuris ſeculis, benè de ſe loquentes homines audiant.

Atque immortalitatem ſibi cõpararent.

CAPVT VI.

De modo militandi, & propugnandi Patriam.

DIxi proprium Equitis Poloni munus eſſe, tractationem ar-

morum, & propriè in equo: ſupereſt dicendum, qua ratione, aut conſuetudine id facere ſoleat, cum quælibet gens, ac natio, aliter atque aliter armis vtatur, & ſuum bellandi modum, alijs meliorem exiſtimet. Ergo vt neminem improbem. dico, nobis hunc patrium morem eſſe, equitatu hoſtem frangere quiſquis ille ſit, aut quocunque modo armatus. Sed in campo aperto, & communisſimè, priuſquam fines noſtros attigerit. cum autem intrauerit, & munitiones occupauerit, aut ipſe ſibi eas parauerit, peditatu, ſed mercenario: noſtro verò, qui exiguus & inexercitatus eſt, vel caſtra tantùm, aut oppida propugnamus, vel foſſas fodimus, & vallum excitamus, vel pontes conſtruimus, & vias machinis bellicis ducendis ſternimus, vel denique onera & impedimenta caſtrorum conducenda, & cuſtodienda commmittimus.

Poloni hoſtes ſuos equitatu perrũpunt.

Peditatu mercenario vtũtur.

Equitatũ duplicem habent.

Quãtum ad equitatũ. is vti iam ſuperius

perius dixi, ex nobilitate eſt, & armaturæ duplicis. *Grauioris*, ſcilicet, & *Leuioris*: ſed qui iterum inter ſe variè diſtinguuntur.

Et grauioris quidem armaturæ, alij haſtati ſunt, & vulgo dicũtur *Hußari*. alij ſclopetis tantùm muniti, & dicuntur *Harcabuſeri*.

Leuioris quoque armaturæ, alij qui breuibus lanceis vtuntur & lorica, vocanturq́; *Cemeriſſi*. alij verò qui vel ſclo petis tantùm: vel ſagittis tantùm: vel vtroque ſimul: loricati, aut ignudi, & vocantur *Coſachi*.

Huſſari sũt, qui ferreos thoraces tergo induti, caput galea, manus verò loricatis manicis armant. Ad offendendũ autem ſiue feriendũ hoſtem, haſtas ſex cubitos, & medium longas gerunt: appẽſis, framea curua ad latus ſiniſtrum, acinace, ſub pede dextro ad ephippiũ, & antrorſum ſclopeto breui, vel duobus. Equos habẽt generoſiſſimos, quos

Haſtatum ſumptuoſũ valde, ſed nihilominus fortẽ.

qui ditiores sũt, mille aureis, aut ſeſqui altero comparare ſolẽt, qui tenuiores, ſexcẽtis aut ſeptingentis, nullus viliùs ducentis. Cohortes vellis ſericeis, quæ ab haſtis pendent, diſtinguunt, colorẽ ſæpè eundem, cuius & ipſum vexillum eſt, habentes. Et prout ſe quiſque, ac equum ſuum meliùs, auro, ſerico, gemmiſue exornare poteſt, ſic in publicum procedunt, (non tamen in certamen, quia tum vilioris materiæ omnia vtenſilia habẽt) & corpus ſanè ipſum, ſuper thoracem, pellibus tygridum, vrſorũ, leopardorum, pantherarum, aut aliarũ quarumuis, vel ferociſſimarum, vel pręcioſiſſimarum beſtiarum tegunt: caput verò ita ſuum, quemadmodum & equi monilibus, & pennis diuerſarum auiũ, tergo etiã alis artificiosè adlaboratis; cum ipſa frena, pectoralia equorum, & ſtrepas communisſimè ab auro aut argento ſolido geſtare ſoleãt. Et hi tales, pręcipuũ robur militię noſtrę cẽſentur

eſſe,

esse, & sunt verè, in iustis cõgressibus.

Harcabuseri autem, per omnia similes illis, solis hastis exceptis, quarum vice, tria sclopeta habent, hoc est, breuia duo, & tertium oblongum.

Iam autem leuioris equitatus primi dicũtur esse *Cemerissi* loricis, & clypeo ipsi muniti: in hostem, aut sclopos longissimos in manibus gestant: aut arcũ & sagittás, accincti gladijs incuruatis, & lancea quatuor cubitorum ad lumbum dextrum subligata, qua congressi cum hoste, atrocissimè cominùs feriũt.

Leuiorem, sed minus valentem, vtilem tamen quia celeritate vincit.

Cosachi verò, qui itidem duplices inter se, alij lorica, & galea armati, duas bombardas breues, & tertiam longam, curuumq; acinacem habent. Alij ignudi pænè, & solis tantùm vestibus tecti, arma offensiua, paria supradictis, ferũt. Vtrique tamen bõbardarũ loco, sagittis interdũ, & arcu vtuntur. Sicq; persæpè accidit, vt vnus aliquis Podoliæ Megistanes, quinque aut sex, Equitũ

Cosachorum, Regi, aut Reip. cohortes offerat, omnes autem inter se vestitu, & ratione armorum differentes; hoc est, aliam Cemerissorum cũ pixidibus, aliam cum arcubus: aliam Cosachorũ, loricatam cum bombardis, aliam ignudam cum bombardis quoque; & aliam loricatam cum pharetris, aut demum ignudam cum sagittis. Omnes autem celerrimis equis vtentibus, sed qui minori pretio veniũt, quã Hussarorũ, aut Harcabuserorum, vt puta quinquaginta, aut sexaginta aureis tãtùm: minusq́; omnes ab argento aut serico splendẽt.

Omnis equitatus currus & lixas secũ trahit.

Et equos extraordinarios plurimos.

In genere autem. omnes equites Polonici, turmas suas centum equorum, aut ducentorum, aut amplius, pro libitu suorum ductorum faciunt: nullus tamen excedit quadringenta: prout nec minus centum, habere solet. Similiter omnes in vniuersum, currus complures cõmeatu oneratos, infinitosq́; calones ac lixas secũ trahunt: tum equos quo-

que,

que, quibus vel isti excurrẽdo à castris prouident dominis suis necessaria, vel in casum belli tantùm seruando, vtuntur & ad põpam & ad prælium. Quod communissimè ipsi cohortium præfecti, aut vices eorum gerẽtes ex consuetudine facere obligati: Vt si videlicet in pugna ex cõmilitonibus suis alicui equus occisus fuerit, subueniatur ei extẽplo, ne cõtritus vngulis equorum intereat: præcipuè velitationis tempore, ne equo excussus viuus in manus hostium deueniat.

Modus cõscribendi militis.

Conscribendi autem exercitus hic modus obseruatur. Nobilis, verbi gratia, vel stipendijs Reip. vel ære suo, volens cẽtum hastatos (idem ferè intelligẽdũ, & de omni reliquo equitatu) sub vexillo, aut signis suis habere: duos aut tres alios nobiles bello peritos & veteranos adit, eisq; animũ suũ aperit, atq; simul rogat, velintne signa sua seq; & quos norũt iuuenes aut veteranos secũ

in com-

commilitium ducere. Tum illi ſtatim, quantum præter ſtipendia ordinaria, vel viritim, vel ſolis nobilibus tantùm voluerit donare, ab eo exquirunt; & cognito, quantum aut liberalis, aut tenax ſit, faciunt quod rogati erant. Namque ordinarium ſtipendium eſt.

Stipēdium eius ordinarium.

Decem Polonicales floreni Equiti in menſem, hoc eſt, aurei duo, & medium tertij. qui igitur nobilis, quatuor equos ad pugnam expeditos, cum ſuis ſeſſoribus armatis offeret, decem aureos in menſem ſtipendij habebit, ſed quo nullatenus premiari poterit, qui tantum in equos ipſos, arma & requiſita alia ad ornatum expendit. Iam autē quo plures quis veteranos, aut ſplendidiùs adornatos habet, eo inter reliquos Cōductores maioris exiſtimationis, & opinionis eſſe putatur. Ergo vel

Extra ordinaria à Conductoribus munera.

æqualiter omnibus commilitonibus ſuis ſummam pecuniæ certam donat, vel ſigillatim cuilibet nobili, res diuerſas

uerſas ad armaturam aut veſtitum ſpe-ctantes; hoc eſt, equum vni bello ap-tum, frameam vel acinacem alij argen-to exornatum, vel quidpiam ſimile. Explebunt verò centenarium illum ſal tim triginta nobiles, quorũ alius duos, alius tres, aut quatuor equos præſenta-bit: quo igitur plures equos, & plus circa ſe ornatus habebit, ſolidiora etiã munera à ſuo Ductore accipiet. qui idem, ſtatim illis commeatum ſufficien tem prouidere debebit, vbi die dicta ad ſe conuenerint, & tamdiu prouide-bit, quamdiù fines regni non exceſſe-rint. Iam autem in ſolo hoſtili, vel etiã patriæ, caſtris conſtitutis, quiſque ex eo viuet, quod in itinere ſibi compa-rauit, & curru ſecum apportauit. Vnus autem ex illis nobilibus, qui, exempli cauſa, tres equos armatos ad pugnam habet, ducet etiam & quartum reſer-uatum, vti dixi, in caſum, ſi fortè ex illis tribus vnus ei occiſus fuerit, vt alium

Equorum et lixarum ingens nu-merus.

alium extemplò habere possit, nec pateretur quantum in se est, manipulum suum diminui. Similiter & seruum vnum, qui alij equo insidens minori, illum generosiorem ductabit, paratus & ipse in similem euentum, si necessitas occurrat. Habebit quoque sex alios equos qui currum ipsum trahent, & duos ad minus, quibus supra dicti calones insidebunt, in omnem excursum parati, sed maximè, vt prouideant pabula, commeatum & rapinam ex agro hostili. Atque sic unus nobilis, qui met tertius stipendia meretur, habebit equos tredecim, homines ad minus decem. Tota verò centum equorum cohors, septingentos circiter equos, personas quingentas. minùs tamen, cum cohors erit leuis armaturæ, puta Cosachorum.

Vbi igitur dicuntur esse decem millia equitatus Polonici, vtriusque armaturæ, ibi censenda sunt, ad mi-

nimum triginta millia hominum esse: alterum tantum equorum. Dumque ipsi milites in aciem, vt manus conserant cum hoste, procedunt, calones qui in castris manent, pars facta ex curribus munitione impedimenta defendere tenentur, pars verò per turmas dispositi, à tergo dominorum suorum, nouum agmen ostentant, & hosti terrorem incutiunt. Interdum incursant circumuentum, perturbantque inopinantem ac profligatum seu cæsum spoliant; (quisque domino suo maiorem prædam procurando) nam victoribus ipsis ex equo descendere pudor est: & inter pugnandum, porrigere manum ad prædam, capitis crimen. Præda verò ipsa non cedit in commune, vt solet fieri vrbe aliqua expugnata, sed prout quisque lixa capere potest, ita domino suo adfert: qui potiora sibi eligit, reliqua autem seruis suis diuidenda

Officium lixarum seu calonũ.

Præda ex hoste militi.

uidenda tradit; rem verò notabilem; & ſicut ſigna hoſtilia, aut captiuos principaliores, Generali præſentat. Qui & ipſe nullum immuneratum à ſe dimittit, & res illas Regi in Senatus conſeſſu frequentiori offerendo, ſerio recommendat vnumquemque ex viris fortibus: quos deinde ille poſſeſſionibus, aut Præfecturis donat, honoribuſque diuerſis, pro meritis exornat.

Et merita ex virtute

Quantum ad peditatum, is pauciſſimus habetur in Polonia ex Polonis, & ſi qui ſunt, ex plebe omnes. bello autẽ ingruente ex Germania, vel Hungaria adducuntur, quorum iſti, veſtibus atque armis acceptis, ſæpiſſimè vel ad hoſtem transfugiunt, vel in patriam ſuam, vicinitate ipſa occaſionem præbente: illi, aërem noſtrum, & belli incommoda ſine tecto ferre impotentes, moriuntur paſſim aut inficiuntur morbis. Noſtrates verò, quia nullibi extra patriam pedem extulerunt, aut bella vide-

Peditibus Poloni vtuntur, vel ex Germania, vel ex Hungaria conductis, vel ex agris ſuis dilectis.

viderunt, parum exercitati sunt: benè tamen ad labores, & cęli iniurias obdurati, obq́ue simplicitatem ipsam fideles. Meliores tamen omni mercenario, cum ex Russiæ partibus collecti, & exercitati aliquot bellis erunt, quia & patriæ amantes, & gloriæ cupidi, exiguoq́ue commeatu contenti. Sciendum ergo duplicem peditatũ in exercitibus Polonorum repperiri. Alium ex diuersis Regni prouincijs collectũ, maximè verò ex montibus Carpatijs, Poloniam ab Hungaria diuidentibus, & hi vocantur vulgo *Haiduci*. Alium autem ex solius Podoliæ territorijs, adiacentibusq; districtibus, qui communi Vkrainæ nomine appellantur, coaceruatum, & vocantur isti *Cosachi Zaporosenses*. de quiqus ne confusio fiat, sigillatim.

Et qui ex agris suis, sunt duplices.

CA-

CAPVT VII.

De Haiducis.

Arma illorum, & vestitus.

OMnis peditatus, qui uel ex Poloniæ diuersis prouincijs collectus est, vel ex Hungaria deductus, cõmuni Haiducorum nomine appellatur, armaturq; ex publico frameaincuruata, securi breui, & sclopeto oblongo, puluerem etiam quantum satis toto bello ex publico accipiens, sicut, & vestitum cum toga sua integrum, quælibet turma vnius coloris. Duces sequuntur Nobiles Polonos, qui & proteruiam illorum frangere scirent sua industria, & authoritate incitarent ad præclare agendum in bellis, atque exemplo. Solent autem trecenti & quadringenti vnum signum sequi: non tamen pauciores centum, tibicinibus sonantibus & tympano: quibus similiter vt & equi-

Ductores seu præfecti.

tibus

tibus à colonis, aut oppidanis prouinciarum victus prębetur, adeò sufficiens vt possint etiam sibi in futurum prouidere, & currus, quos paucos habere solẽt, commeatu implere; qui postquam non suffecerit in castris, stipendijs suis viuere debent, & præda ex hoste. Non item inclusi munitionibus, quia sesqui aureum tantum in mensem accipiunt stipendij; nec etiam illis per hostem liceret exire arce, aut sufficeret exiguus aliquis victus toti cohorti raptu quæsitus. Prouisi igitur à Repub. & sic, vti dixi, vestiti atque armati, nullum laborem, in oppugnandis aut propugnandis fortilicijs, in construendis pontibus, metandis castris, fossibus fodendis, aut conducendis bellicis tormentis, atque demũ excubijs pro vallo faciendis, recusare posfunt, aut debent, velut & pugnam aperto marte detractandi, sub capitis pœna. Sed qui nihilominus in grauibus periculis,

Commeatus à Villanis.

Officium in bellis & labores.

etiam à grauioris armaturæ equitibus adiuuari ſolent, qui equis dimiſſis, vltrò in partem laboris veniunt, animoſiores illos faciendo exemplo ſuo, & voce, proponẽdoq́; præmia & ſpem honoris; tranſeundi videlicet in ordinem equeſtrem, ſi quid conditione ſua maius attentatum aliqui aſſecuti fuerint: more Spartanorum, aut veterum Romanorum, quibus celebre fuit, illos qui Reip. vel amplificandæ, vel ornandæ cauſa, præclarum quidpiam geſſiſſent, vel pietatem iuſtitiæ iunctam, multiplici ac vario argumẽtorum, genere, exercuiſſent, in patriciorum ordinẽ tranſcribere, atque encomijs, panegyricis, elogijs attollere, ſtatuas ex Pario lapide, quin & ex argento, & auro effictas, piramides præaltas, obeliſcos, arcus triũphales eis erigere, perpetuitatiq́; nomina illorum conſecrare, & in concilium denique Deorum referre. In noſtra vero patria, quia nihil or-

Antiquus Romanorum mos benemeritos de Rep. Elogijs & honoribus ornare.

hil ordine Equestri altius habetur, ex quibus & Ciuiles, & Ecclesiastici magistratus fiunt, ideo emergentibus è plebe, non aliud primum, quàm baltheus equestris à Rege, possessiones deinde ac præfecturæ Vrbium conceduntur: vt sic Repub. assentiente, & quasi per ianuam virtutis, ingreſso in templum Honoris, honor ab omnibus haberetur: & cingulum militarem, etiam posteri sui gestarent. Quod intelligendum etiam & de viris litteratis, quos probitatis nota, à reliquo vulgo discriminauit: nam Conuentu publico dissentiente, nullus inscribi potest, in album nobilitatis.

Polonorũ consuetudo benemeritos de patria honoribus extollere.

CAPVT VLTIMVM.

De Cosachis Zaporosensibus.

QVoniam multi multa de Cosachis fabulati sunt, vel Byzantio,

vel ex Alemania, de illorum excursionibus in Turcarum regiones, litteris acceptis, per ordinarios tabellarios, qui noua quotidie spargũt, & nusquam certa adferunt, nescientes quod alij Cosachi sint, qui in Germania fuerũt, alij qui Turcam eiusq; populos infestant: idcirco speciali hic modo Zaporosẽses, qui Mari Euxino vicini manent, & cum Barbaris gentibus, bella quotidiana gerunt, describere intẽdimus, cum de illis Cosachis equitibus, quales Germanico Cęsari suppetiabãtur satis abundè capite paulò superiori dictum sit; maximè quod plurimi reperiantur rerum nostrarũ imperiti, qui putent Cosachorum gentem, à Regni Poloniæ populis esse diuersam, lingua & origine.

Alij Cosachi sunt, qui in Germania fuerunt, & alij qui Turcas incursant.

Itaque sciendum Cosachos duplices esse. equites Polonos leuiter armatos alios; de quibus iam diximus: & alios pedites, ex Russiæ prouincijs, hoc

est,

eſt, Chiouienſi, & Braclauienſi, Palatinatibus ruſticos collectos, & colluuiẽ plebis; diciq; *Zaporoſenſes* quaſi vltra limitaneos. poroh enim in Roxolano limen ſignificat. Vbi ergo Boryſthenes, Ruſſiæ totius principalis fluuius, receptis amnibus innumeris auctus, excedit limina ſeu fines Terræ Chiouienſis, quæ vltima eſt verſus Oriẽtem, Regni Poloniæ prouincia, ibi in alueum vnum ſe ſe recipiens, quo longius per decliua fertur, eo maiori cum impetu ad ima decurrit; & mole ſua decidens inferius, gradus quoſdam efficere videtur; donec ad infimam planiciem delatus, in ramos ſeſe complures diuidit, & inſularum quas efficit oppoſitu curſum ſuum retundit, ac lenius poſtea in mare Euxinum defertur. Gradus itaq; illi quos fluuius ille decidens frequentius efficit, porohi vulgo dicuntur, ſeu limina: & Coſachi ipſi, in inſulis fluuij vltra limina illa habitantes. *Zaporoſen-*

Vnde dicti Zaporoſenſes Coſachi.

ses, & *Cosachi*, quasi omnia spernentes, etiam ipsam mortem. Inter insulas autem Borysthenis, tres censentur esse præcipuę, in quibus Cosachi resident piscatu, venatione, aucupio, & rei militaris exercitio, vitam traducentes. prima insula ab eis vocatur Tomacouca, à Thoma, duce quodam illorum denominata. Secunda Kochan, quasi delicium velis dicere, quod multum Cosachis placuerit in ea habitare. Et tertia Visniouecki, quia ex Satrapis Russiæ, Visniouecius quidam, bella olim cum Tartaris, suis auspicijs gerens, eo sese cum suis velut in arcem munitissimam recipere solebat.

Tres Cosachorum insulæ in quibus habitant.

Sunt ergo Cosachi Zaporosenses rustici, ex pagis aut oppidis diuersorum Equitum Poloniæ, sed præcipuè Regis ipsius, atque Episcopi Chiouiensis, vltrò, & sine stipendio vllo collecti, sola militaris gloriæ fama illos conuocante: Græcanici ritus omnes, &

Qui sint Zaporosenses.

nes, & omnis litteraturæ pænè ignari. Cœperunt autem originem suam, regnante in Polonia Sigismundo I. qui cum Tartaris, Moschouitis atque Daciæ incolis bella grauissima gessit: quibus exercitatus à puero Ostaphæus quidam Daskieuicius; ex oppido Ourucko, subditus Constantini Ducis Ostrogij, Generalis exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ, viri bellicosissimi, postquam ad maturiorem ætatem deuenit, cœpit statim animos commillitonum prænsare, & vt signa sua sequantur rogare, ac suadere, quod & persuasit: factaq; nonnulla manu, duxit in hostem proprijs auspicijs, semel atque iterum, & conglobatos tandem, indigetauit nomine Cosachorum, quasi contemnentium cuncta, præter famam bonam: atque sic ex paruis initijs, sectam militarem fecit: & reuera magnam. Nam statim in primordijs illis, & Moscho, & Tartaris

Quando cæperunt esse.

Et quo Authore.

valdè grauis fuit, multiſque cladibus Barbaros ille ipſe affecit, Baltheo Equeſtri pro meritis à Rege donatus, & multis Pręfecturis ornatus. Tandem vita functo, Centuriones nouum ſibi caput elegerunt, cum vndique ad ſe præcipua quæque iuuentus confluere t diuite præda alliciente: obtinueruntq; vſu, & temporis ſucceſſu, vt in hoſtem quando ſibi placeret irent, etiam Rege inſcio, & Repub. donec in Comitijs Regni moderatum fuit.

Aggregati ſucceſſiue et multiplicati etiā externos Principes bello iuuarunt.

Præſtiterunt nihilominus ſæpiùs fidelem patriæ operam, vicinis quoque Principibus miſſis ſuppetijs, contra hoſtes fidei, videlicet Iuoniæ, & Bogdano, Moldauiæ: Aaroni, & Michaeli, Valachiæ, Dynaſtis: Chriſtophero, & Sigiſmundo Bathoreis, Trāſyluaniæ Principibus: Rudolpho, & Matthiæ Romanis Imperatoribus, Hūgariæ florentiſſimum regnum ab Othomanica crudelitate vindicantibus:

vt hic omittam Lascios, Visniouecios, Strussos, Potocios, Iaslouecios, Pretificios, Buczacios, Korecios aliosq; Podoliæ megistanes, & Heroes fortissimos quos illi toties secuti, Turcarum exercitus atrocissimis cladibus affecerunt: feceruntq; illustre nomen Polonum, obtentis de Barbaris felicissimis victorijs, proprijs eorum Polemarchis præeuntibus, quales fuere Suierscouius ille animosus, Holubcus, Koska, Serebrny, Loboda, Sahaidaczny, & qui nunc illis præest, vir multa belli peritia clarus Dorossenko. Sed quia nihil tam sanctum esse potest, quod nõ corrumpat diuturnitas temporis: multaq; probè à maioribus instituta, vno senectutis vitio defluxisse in turpissimos ritus videmus. Ita & illorum institutum, bono fine, ad propulsandos Barbarorum incursus, statutum, corruptis successiuè moribus & disciplina, protulit nonnullos, qui contra fas nefasq; ausi,

Nobiles Polonos secuti Turcam infestarunt.

Cum suis Ducibus progressi barbaros cladibus affecerũt.

Sed vetustate temporis omnia corrũpuntur & in deterius eunt.

non vicinos modò populos, pacem nobiſcum colentes, armis laceſcere, verũ etiam patriam ipſam hoſtili planè modo depopulari, & in dominos ſuos rustici ſæuire. Quare audentem Dacos contra pactaReipub. incurſionibus infestare, Rex Stephanus, Diuæ memoriȩ Ducem eorum Podkouam, Leopoli capitis ſupplicio puniuit. Sereniſſimus verò Rex modernus, Naliuaicum primò Generalem illorum Varſouiæ Senatus decreto condemnauit. Deinde bello Moſcouitico peracto, per Generalem magni Duc. Lit. Carolum Chodkieuicium, graſſantes per regni prouincias, & neſcio quid hoſtile molientes, clade notabili affecit, atque ſic Pinſcenſem diſtrictum, ac Modzyrenſem, ab exactionibus ingentibus liberauit. Quos iterũ Chodkieuicius idem, tempore belli Turcici ad Chotimiam compeſcuit, decapitatis ex eis octuaginta prȩcipuis & Duce illorum Borodauka.

Coſaebi puniti ſæpiùs à Regibus Poloniæ.

Deni-

Denique ante triennium, Stanislaus Koniecpolski, Regni Poloniæ Generalis, rebelles bello vltus eſt, occiſis ex eis octo millibus in acie: reliquos (nam quadraginta millia fuerunt) adſtrictos ſacramento, veterem diſciplinam ſeruare coegit. 1625.

Fiunt autem Coſachi Zaporoſenſes tali modo: primo vere, cum niues liquefacti campos aperire incipiunt, quiſque militari gloria concitatus, comparata nauicula & commeatu, nauigat ſecundo Boryſthene, ad illas ſuperiùs explicatas inſulas Coſachorum, vbi dux illorum, ſeu Generalis, delectũ facit ex eis, qui veniunt, & quem aptũ cẽſet, referri in cathalogũ à Secretario iubet: ineptũ, recepto ab eo, quem ſecum tulit, commeatu, domum remittit. Conſcriptos, verò, tradit diſciplinæ decurionum, quibus obedientiam perpetuò tenentur, donec vel ſtatum, vel conditionem non permutauerint.

Quomdo Coſachi exercitum ſuum colligunt.

Generalis ipſe, de medio illorum eligitur: & durat, quantum, & fortuna cum illo: Si tamen prudens, & gnarus rerũ erit, comprobatur à Chiliarchis, ſicut & iſti à Centurionibus, aut Centurio à Decurionibus, vſque ad terminum vitæ: ad quem actum, ſicut & ad reliqua conſilia, non pertinent tyrones, vſque ad triennium ſuſpenſi: quo tempore ſeruorũ loco ſunt, & puniuntur grauiſſimè à ſuis decurionibus, ſi quid delinquerint. Qui vnus præter nouem commilitones veteranos, habebit triginta, & interdũ quinquaginta tyrones, quibus imperat herili modo, maximè cum ad prælium deſcenditur: nam tum, ſi qui fortè ex eis diffugiſſent, comparere amplius non poterunt, nam fuiſſent capite puniti, niſi fortè domi, cum iam redeunt omnes in hyberna, idque cum facti depreca- tione. Per brumam verò Generalis domum rediens, relinquit in qualibet

Quomodo tyrones puniunt.

Quomodo Zaporohos cuſtodiũt.

insula, quingentos, ad custodiam locorum, tormentorum, aliarumve machinarum bellicarum: vbi sub megalibus ex arundine factis, corticibusq, arborum contectis, expectant reditum illius, & commilitonum; existimanturq́, esse clariores reliquis postquam aliquot annis, frigus & algorem ibi, atque famem, pro communi bono in excubijs manendo, supportauerint.

Arma omnes habent, sclopetũ oblongum, & gladium incuruum: alij breuem lanceam, & sagittas, sed rarenter; thoracem ferreum, aut loricã, nullus, nec generalis ipse; sicut nec vestem splendidam, aut lautiorem mensam. Sed rudi gausape, & penula tecti, piscibus sole siccatis, & ferina vitam sustentant, fruituri mele, & sero lactis ad vxores reuersi; namque in castris illorum fæmina nulla esse potest, nisi fortè cum præda alia capta. *Quibus armis vtantur.*

Bellandi modum duplicem habent.

Quomodo bella gerant in mari.

Mari, & Terra. Mare non omnes conſcendunt, ſed qui audaces tantum, & apti ſufferre fætorem illius. nauiculis vtuntur, quę triginta homines aut amplius paulò capiunt, nec ſubmergi à fluctibus poſſunt, certæ herbæ faſciculis per circulum nauis adnexis. non ſe tamen pelago committunt, ſed dextrũ ſolùm littus adnauigant, Baſſarabiam atque Thraciæ agros palantes, in quãtum pedes, vna nocte recedere à nauibus poſſunt. Lõgiùs, cum ad ſiniſtrum Tauricam Cherſoneſum depopulantes nauigant, quia Scithas contra ſe minus audere ſciunt. Quod ſi in triremes Turcarum inciderint, conſultiùs ſemper habent occumbere, quàm turpiter fugire, aut deditionem facere, atque ideo impares etiam viribus, pugnã non detractant, & frequentiùs verſi in deſperationem vincunt. Sicq; victoria obtenta, interdum in Aſiam, & Trapezuntum vſque, cum triremibus Turcarum

rum

rum & ſignis, excurrunt, trucidantq́; aut capiunt quos offendunt incautos. Sed hoc antea fieri ſolebat; nunc Turca collocatis in cuſtodiam maris illius, omnibus fermè nauibus ſuis, præpediuit multum conatus illorum, qui frequentiùs iam proxima Conſtantinopoli prædia, igni ſuccendere, aut deprædari ſolebant. Nec lucrari modo quidquam poſſunt, amplius niſi aſtu militari, ſeu ſtratagemate aliquo.

Cum autem in campos Nohayſcēſium Tartarorum, aut Præcopenſium excurrunt, pedes omnes eunt; & ſi greges equorum nanciſcuntur, extemplò ſe equites faciunt, & vel incurſant hoſtem perturbatum, vel redeunt ad terram ſuam, & munitiones Boryſtenis, ſi ingruentem vident. Quod ſi armenta tantùm, & oues repperierint, ligatos caudis, & cornubus pro munitione ſtatuunt, ſi hoſtis ferox in abeuntes, & ſic velut vallo muniti propugnant.

Quomodo in Terra Tartarorum.

Cæ-

Quomodo in prouinciis planis vbi currus habere poſſunt. Cæterum quando in alias prouincias exercitum ducunt, currus vno equo tractos ſinguli habent, & bombardas ſecum æneas trahunt, ſeu tormenta. Quilibet autem præter puluerem bombardarium, & commeatum ſuum, tenetur habere ſecurim, falcem, ligonem, reſtes & alia neceſſaria ſeu vallo faciendo, ſeu curribus ligandis, quando cum exercitu toto proceditur, pugnando per viam cum hoſte: Et tum illi curruum in ordinem diſpoſitioné *Quid Thabor dicatur.* Thabor appellant; Vbi ante, & à tergo machinas relinquunt: ipſi autem, latera cum ſclopetis tegunt, & ſi graue periculum imminet, inter currus ſeſe recipiunt; propugnantq; tanquam ex munitione. Quod ſi non ſuffecerit & iſtud, currus eoſdem in inſtanti terra implent, & vallum extruunt firmiorem.

Et is eſt modus bella conficiendi Coſachis, qui cum ſuo Thabor iuncti

equi-

ĉti equitibus Polonis, magni ſolét eſſe momenti, vt ante ſeptennium, in bello illo magno cum Turcis, experti ſumus. Nec excedunt ipſi numerum quindecim millium, ſed cum gregario milite, ſeu tyronibus, faciunt exercitum quadraginta millium, quos diſciplina veterum Romanorum, habent; & ſilentium in caſtris, ſobrietatem, obedientiam, reticentiamq́; ſecretorum diligentiſſimè omnes obſeruant, & vel Spartano more, aut potius rigore, delinquentes corrigunt. Reipub. abſque ære & ſtipendijs, ad ſolius Regis mandatum, in bellis ſeruitia præſtant & operam; quos tamen bello finito Rex ſumma aliqua notabili, donare ſolet, ac principaliores, poſſeſſionibus agrorum aut villarum. Tum nobiles ipſi quorum ſubditi ſunt manumiſſione, & muneribus condignis. Non omnes tamen ſimul in bellum eunt, ſed prout illis Regni Gene-

Diſciplina militari veteres repræſentāt.

Sine ſtipendijs Reip. militant.

ralis

ralis supremus mandauerit: nam reliqui partim in mare excurrunt, partim in campos latissimos Scytharum, partim in excubijs Podoliæ, & insularum suarum manent.

Regis Poloniæ pro Regni defensione vltima potentia.

Quod si igitur generalis aliqua expeditio Reipublicæ fuisset promulgata, habuisset Rex Poloniæ, delectu facto ex omnibus prouincijs *Peditum* partim Haiducorum partim Cosachorum *octuaginta millia*. *Equitum* tum grauioris, tum leuioris armaturæ circiter *ducenta millia* absque vllis stipendijs, & indictione vectigalium. Sed qui non potuissent in vnum locum conuenire, ne nudarentur aliæ partes Regni; maior tamen pars potuisset aggregari, cæteris ad custodiam prouinciarum relictis. Et ob id singulis annis, prima post Pascham Dominica, singuli districtus à suis Palatinis lustrantur, solentq; omnes parati esse in omnes occasiones graues. Cæterùm bella ordinaria

ñaria milite ſtipendiario peraguntur, quibus Reſpub. ipſa tributis indictis perſoluit, Rege nihil de ſuis prouentibus ſpendente. Quibus adduntur cohortes vltrò in bella & ſine ſtipendijs euntium: tum cohortes ditiorum, qui aut filios, aut nepotes ſuos ob patriæ amorem, proprijs ſumptibus in caſtra mittunt. Reperiunturq; complures, qui mille, & amplius, milites ſuo ære ducunt, quotieſcunque Patriæ neceſſitas poſtulauerit. Nuſquã tamẽ talis exercitus ſolet eſſe maior millibus viginti, quia eodem tempore ſimul, oportet alium exercitum, alibi, & interdum quatuor in locis habere. Vnde meis temporibus, maiorem exercitum contra hoſtes Patriæ, non vidi, quam fuit ille *contra Turcas ad Chotimiam*, vbi cum mercenario, *triginta Polonorum, & quadraginta Coſachorum Zaporoſenſium millia fuere.*

Ordinarij exercitus Polonorũ.

Et hactenus, de excellentia Equitis

Poloni,

Poloni, eiusque more militandi. Nunc ad te, ò æternum Numen, æterna potentia Patris, breues, sed calidas preces conuerto. *Cōtere brachio tuo forti fortitudinem inimicorum nostrorum, & disperge illos in virtute tua, vt cognoscant quia non est alius, qui pugnet pro nobis nisi tu DEVS noster. Quoniam Rex noster sperat in te Domine, inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis & dextera tua protegat eum.*

FINIS.

VENETIIS, M. DC. XXVIII.

Apud Franciscum Baba.

Poloni, eiusque more militandi. Nunc ad te, ô æternum Numen, æterna potentia Patris, breues, sed calidas preces conuerto. *Cōtere brachio tuo forti fortitudinem inimicorum nostrorum, & disperge illos in virtute tua, vt cognoscant quia non est alius, qui pugnet pro nobis nisi tu DEVS noster. Quoniam Rex noster sperat in te Domine, inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis & dextera tua protegat eum.*

F I N I S

VENETIIS, M. DC. XXVIII.

Apud Franciscum Baba.